

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Eilhard Lubin Barthold Krakewitz von

De Primatu & Potestate Romani Pontificis, quam in rebus fidei religionisq[ue] sibi arrogat. Disputatio Theologica

Rostochii: Myliander, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463>

Druck Freier  Zugang



E. Lubinus.

R. u. theol. 1607.

17



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756516463/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756516463/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463/phys_0003)

DFG

xxvi

DE
PRIMATU
& Potestate Romani Pon-
tificis, quam in rebus fidei reli-
gionisq; sibi arrogat.

Disputatio Theologica

Quam
Auxiliante divina gratia

P R A E S I D E

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO,
Dn. EILHARDO LVBINO,

S.S. Theol. D. & Professore ordinario & facul-
tatis Theologice DECANO,

Pro Summo in Theologia gradu consequendo publi-
cè ventilandam exhibet

BARTHOLDUS KRAKEVITZ
ecclesiarum citerioris Pomeraniae designatus

Superintendens.

Ad diem 4. Martij hora 6. matutina.

xxvi

Rostochij Literis Myliandrinis, Anno 1607.

1607



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn756516463/phys_0005](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463/phys_0005)

DFG

Reverendis & Clarissimis
Viris,
DN. JOHANNI PAPPO,
ET
**DN. MATTHIÆ HAFEN-
REFFERO,**
*S. S. Theologia D.D. & in Academijs Ar-
gentinensi ac Tybingensi Professoribus cele-
berrimis, Dominis, amicis & fratri-
bus meis in Christo hono-
randis. S. D. P.*

 Vid causæ sit, viri Reverendi & Clarissimi, cur
sub vestro nomine hosce de Romani Pontificis
τομοφανεια aphorismos edere & luci publi-
cæ committere voluerim, vobis collectu facile
est, mihi verò dictu haud difficile. Etenim etsi vestræ
Ecclesiæ si locorum αλεξινογει spe ceterus, à nostris quam
longissime sunt dissitæ, fidei tamen religionisq; non tan-
tum vicinitatem, sed & unitatem si perpendamus, appare-
bit utroq; in loco, cum apud vos: tum vero apud nos
quoq; Dei beneficio, eandem sonare doctrinam, eadem
integritate dispensari Sacraenta, adeoq; omnia sibi ita
esse ομόψηφα ut & vestrarum & nostrarum Ecclesiarum
membra tanquam mutuo concentu exclamare, sibiq; illud
Apostolicum occinere possint: εἰς τὸν Θεόν, μία πίστις, ἐν
βάπτισμα; εἰς Γεών καὶ πατέρες πάντων, καὶ στολὴν πάντων, καὶ
ἐν πά-

et timor tuus &c. Quod quanto est verius: (diu autem
verum esse patiatur cælestis pater) tanto commodius in-
ter eos qui cum hic, tum etiam apud vos Ecclesijs præfecti
sunt, non solum pax: sed & firma ac stabilis amicitia, illa
nimurum, quam Hieronymo teste non utilitas rei familiaris, non
præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio:
Sed Dei timor & divinarum scripturarum studia conciliant,
coli & confirmari potest, eamq; ut ego quoq; jam ante
paucos menses inter nos initam, me haec tenus magnificis-
se, & deinceps etiam in unitate fidei vobiscum ad finem
usq; vitae conservaturum ostendam, levidensi hoc munu-
sculo tanquam indice digito commonstrasse sufficiat, cuius
tamen missionem vel eo etiam nomine me vobis debere
non obscurè profiteor, quod cum utriq; vestrum, tibi qui-
dem Clariſime Domine D. Pappe Argentinæ: tibi verò Pra-
stantiſime Domine D. Hafenreffere Tybingæ adesse, ea me
affecistiſ benevolentia & humanitate, vestris hominibus
perquam familiari, quæ apud me, quoad in mortali hoc
corpore vita superfuerit, nunquam intermorieūr, quam
quia ob angustiam huius chartæ ulterius deprædicare non
licet, hic finem facio, & vos vestrosq; Dominos collegas,
viros in orbe Christiano clarissimos & ob merita sua erga
ecclesiam notissimos, divinæ protectioni longum com-
mendo. Dabatur Rostochij, 26. Februarij Anno 1607.

V. in Christo

addictissimus

Bartholdus Krakevitz.

*Nobis ex Insula
Rugia
A 2 DE*

DE PRIMATV PAPÆ

Quem in rebus fidei religionisq; sibi
arrogat.

Thesis I.



Urimam utriusq; regiminis, secularis nimirum
& ecclesiastici potestatem Papam Romanum,
filium perditionis & Antichristum magnum sibi
arrogare, non tantum ecclesiastici: Sed etiam
politici scriptores testes sunt, adeoq; Romanae
(qualis aliquandiu fuit & etiamnum hodie est) ecclesia impura
praxis luculenter comprobat.

II.

Quomodo enim ut de priori, politico videlicet regimine, obiter
hoc injiciam, à subiectione secularium principum pontifices se
non tantum subtraxerint: Sed etiam gladij secularis potestatem
illicite sibi arrogaverint, jus atq; honorem magistratui præripue-
rint, regibus leges civiles præscriperint, casares ut precario reg-
nantes floccifecerint, subditos à fidelitatis juramento absolverint,
quinimmo fraudibus, cædibus, bellis, omniq; scelerum genere im-
perij sui maiestatem communiverint ac confirmarint, tam est
notum ut ferè in cantionem tabernarum abierit. (verba catalogi
testium veritatis fol. 228. pat. 2. edit. Lug. 97.)

III.

Atq; ut recentia exempla & placita Pontificum quomodo
scil. is à nemine velit judicari (vide Nilum w̄tī tñs ts' Namā ap-
xñs) pedes suos SINGVLARI SE DIS ROMANÆ
PRIVI

PRIVILEGIO jubeat osculari (verba **STEVANI**
lib. de adoratione pedum &c.) reiceam, vel unica Friderici pri-
mi Imperatoris, Barbarossæ dicti, historia præceteris innume-
ris notatu est dignissima; quem adeo inhumaniter & plus quam
tyrannicè à pontifice Alexandro tertio tractatum fuisse legi-
mus, ut non tantum prædictus pontifex eum imperio violenter
exuerit: Sed etiam prostratum pedibus conculcaverit, & in hoc
scelerato facinore verba Psalmis (super aspidem & basiliscum am-
bulabis) (Psalm 91. v.13.) partim inscitè, partim etiam impiè sibi
accommodaverit, (vide Funcium lib. 10. chron. in recensione
anni 1176.

III

Id certè quam à Petri in doctrina & fide legitima successio-
ne, quam streperis suis nugis garruli Iesuitæ toties jactitant, sit
alienum, hinc satis apparet, quod tam huic; quam reliquis etiam
Apostolis dominio à Christo interdictum esse novimus: Si qui-
dem reges gentium dominari & cœq[ue]t[ur] dici, Apostolos non item
salvator clarissime pronuntiat, (Luca 22. v. 25.)

V

Caterum majus crimen committit, & felicius impietatis sua
mensuram compleat Papa Romanus, quando omnem ministerij
ecclesiastici ordinem unicè ad se ita vult alligatum, ut ipse totius
regiminis ecclesiastici æxgov & culmen, adeoq[ue] summus hisce in
terris Christi in militanti ecclesia vicarius & sponsus ecclesie con-
stituatur, talis nimirum, qui licet innumeratas animas in æter-
num secum det præcipites, à nemine tamen possit aut de-
beat judicari vel eo nomine compellari: (vide decret. part. 1.
distinct. 40. quest. 7.)

VI

Quæ sane crudelitas Phalaridis tyrannide major, quanto
hostilius gloriam uni & soli Christo debitam insectatur, tanto
ferventiori & alacriori studio veræ ecclesie membris enitendum
est, ut eam à se removeant, & veritate strenuè asserta, ad extre-
mos Garamantas relegent.

A 3

Nos

VII

Nos igitur in presentia, relicta pontificis potestate civili, de eiusdem quem in ecclesia sibi arrogat primatu, paucis dispiciemus, idq; ut rectius fiat, duobus subsequentibus membris hanc o^ul^ug^untionem absolvemus 1. paucis descripturi, quid per primatum pontificis pleriq; pontificij scriptores intelligant. 2. absurditatem & impietatem eiusdem ex verbo Dei & veteris Ecclesie placitis ostensuri. Christus Iesus, cuius res agitur; conatus nostros ad nominis sui gloriam & ecclesie edificationem clementissime dirigat, Amen.

VIII.

Præclara est vox & Apostolica pectore vere digna illa Pauli: quando Christum supra omnes cælos ascendentem & omnia implenteum, alios quidem Apostolos; alios vero Prophetas; alios item Euangelistas; alios rursus Pastores & Doctores ad perfectionem sanctorum & corporis Christi ædificationem dedisse affirmat. (Ephes. 4. v. 11. & 12.)

IX.

Eo ipso siquidem non tantum donorum in ecclesia varietatem: Sed & ministrantium discrimen & functionum varios ordines Δερπόνδω innuit.

X.

Atq; hinc est quod in nostris etiamnum ecclesijs certi & distincti docentium gradus conservantur, ita quidem comparati, ut non amplitudine dominij (hoc siquidem ecclesia ministris nullum à Christo relatum est) sed ordinum Δερπόνδω veniant metiendi.

XI.

Fidei interim & doctrina unitas tam manet inviolata ut vere Gregorius: Non loca vel ordines nostro Deo nos proximos faciunt: Sed nos aut opera & bona, ei conjungunt, aut mala disiungunt. (Epist. ad Anastasium.)

XII.

Atq; ut paucis multis horum ordinum potissima causa est spiritualium à Deo concessorum donorum inæqualitas, qua cum pro

pro gratia divina largius huic quam alteri concedantur, in hac
quasi oraculo divina liberalitatis vestigia quodammodo cognoscere, eaq[ue] devotioni obseruantia prosequi, quemv[er] Christianum
decere, nemo non fatebitur.

XIII.

Habet etiam Papa Romanus in sua fictitia hierarchia diverso & certo intervallo sibi subjugatos missificum gradus & quorum alij hisce ad quos Missa gesticularis consecratio spectat: alij contra dictis inferioribus assignantur.

XIV.

Septem nimis Petrus Lombardus Scholastica religionis coryphaeus numerat, idq[ue] ut ipse quidem magatur, propter septiformem gratiam sancti spiritus, cuius qui non sunt participes ad gradus ecclesiasticos indignè accedunt. (libr. 4. distinct. 24. quasl. 1.)

XV.

Numerat autem eosdem hoc ordine, primo Ostiaros, secundo Lectores, tertio Exorcistas, quarto Acoluthos, quinto Subdiaconos, sexto Diaconos, septimo Presbyteros.

XVI.

His postmodum subjungit alios quibus officium cum dignitate conjunctum competere afferit, quales sunt: Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitani, & Episcopi: ubi tamen notandum, quod horum officiorum discretionem non à Christo aut Apostolis introductam: sed à gentilibus inchoatam ipsem non obscurè fatetur, & ex alijs profanis scriptoribus nullo negotio colligere licet. (vide Polydorum Vergilium lib. 4. cap. 14. de invent. rerum.)

XVII.

Ceterum utut hi ordines & dicta officia Pontificijs sunt magna; potissimum tamen & summum omnis honoris fastigium Papalis constituitur dignitas, ad quam omnes aspirare, eam suspicere, admirari, & tantum non adorare una opera pleriq[ue] assolent.

Quam

XVIII.

Quam quanti faciant placet hic ex authore rationalis divinorum ascribere: Sic autem ille: Apostolica sedes (*Romanam puta*) sicut ait Anacletus Papa caput & cardo est aliarum, quoniam sicut ostium cardine regitur, sic illius auctoritate omnes ecclesiæ reguntur, & inde dicti sunt Cardinales, per quos tota ecclesia sicut ostium per cardines gubernatur. Illius autem prælatus PAPA, id est pater patrum, vocatur V N I V E R S A L I S, quod universæ ecclesiæ principatu, & A P O S T O L I C V S quod principis Apostolorum vice fungitur; & S V M M V S P O N T I F E X, quod caput est omnium pontificum, à quo illi tanquam à capite membra descendunt, & de eius plenitudine omnes accipiunt, quos ipse vocat in plenitudinem Sollicitudinis non in plenitudinem potestatis; Hic est Melchisedech cuius sacerdotium non est cæteris comparatum &c. (lib. 2. rational. fol. 24.)

XIX.

Sed quam latè reliqui etiam papicola vino meretricis Babylonicae inebriati hujus universalis prælati potestate diffundant, & quousq; in rebus fidem religionemq; concernentibus eandem extendant ex ipsorum pontificiorum ore amplius venit attendendum.

XX.

Sacrae scripturae canon Salubri vigilantia constitutus, hoc sibi proprium habet & peculiare, ut in eo nihil nisi deo nō datur & vere divinum reperiri debeat, ac proinde non ad voluntatem hominum vel dilataris vel etiam contrahi semet patiatur, quippe alias nequaquam γνῶμον οὐ γένεται πάντων αὐτοῖς, quod vel maxime in dicto canone Chrysostomus requirit.

XXI.

Ad hoc Papa Paulus tertius se minimè vult alligatum sed eos etiam libros, quos ipsorum pontificiorum doctorum testi-

testimonio non esse canonicos constat, pro talibus sub anathematis fulmine haberi & acceptari severissime præcipit.

XXII.

Sic enim hac de re modo nominatus Pontifex: Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus (intelligit Baruch, quem tamen Melchior Canus rejicit (lib. 12 loc. c. 4. fol. 588.) Judith, Tobiae & Maccabæorum, quos Cajetanus non agnoscit, (in fine comment. hist. V. Testamenti) additamenta ad Esther, quæ Lyranus & Sixtus senensis respuunt (lib. 1. Bibliotheca) &c.) prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro SACRIS & CANONICIS non suscepere, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, ANATHEMA SIT. (Concil. Trident. sess. 4.)

XXIII.

Facti ratione si requiras respondet Melchior Canus: ad summum pontificē pertinere, definire quinam liber sit canonicus. (lib. 2. loc. cap. 7.) Lælius Zecchius: Papam habere potestatem, ut determinet ea quæ sunt fidei, & paulo post: ut determinet modum credendi trinitatem &c. (de statu S. Pontificis Romani summ. 10.)

XXIV.

Porro scripturam autoritatem quoad nos etiam in se habere summam, adeoq; sibijs ad divinitatis sua comprobationē testem esse convenientissimum ac sufficientissimum constat. Quis namq; divinius Deo loquetur ex cuius ore sacra Prophetarum & Apostolorum tabula ad nos sunt perlata.

XXV.

Contra Pontifex Romanus: Scriptura, inquit, ut ab authore suo Deo prodit, nullum habet neq; sensum neq; formam: Sed in sensu ecclesiæ prolata, divinæ scripturæ autoritatem meretur. (Hosius de expresso verbo Dei. Stapleton. controversial. 4. art. 2. quest. 4.)

B

Quam

Apocrips

XXVI.

Quam impietatem cumulans Robertus Bellarminus: Necesse est, inquit, nosse extare libros aliquos verè divinos, id certè NULLO MODO ex scripturis haberi potest. Nam quamvis scriptura dicat libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos; tamen non certo id credam, nisi prius (ex testificatione scil. Ecclesiæ quo se alias unicè remittit) credidero scripturam quæ hoc dicit esse divinam. (lib. 4. de verbo Dei cap. 4. & libro 1. de Sacrament. Baptismi cap. 9.)

XXVII.

Ubi tamen probè notandum, quod de Ecclesiæ dicitur, nihil quicquam pontifici derogare, quippe cum Valentiano teste Ecclesia hoc in loco & Pontifex Romanus sint Synonyma & irodwayzvla. (part. 8. analys. fid. cathol.)

XXVIII.

Præterea summa etiam est huius scriptura perfectio, talis nimirum, ut ex illa sola tanquam ēn rōws iāspeis hæreses quæcunq; sufficienter profigari, retundi, & funditus immoradicitus everti queant. Ut ilis siquidem ea est ὡς διδασκαλίας, ὡς ἀλεγχον, ὡς ἐπανώθωσιν, ὡς παιδείας ēn δικαιούνη, īva āḡlōḠtō Jēs ānθρωπō, ὡς παν ἐργον ἀπαρτὸν εξηρτομένō. (2 Tim. 3. v. 16.)

XXIX.

Vnde præclarè admodum Augustinus: Si quis sive de Christo, sive de eius Ecclesia, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicam, si nos; sed quod Paulus adjecit, si angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit; (contra literas Petilianæ.)

XXX.

Contra Pontificij hanc de qua agimus Scriptutam adeo imperfectam, mutilam, mancā, obscuram, ceream, flexiloquam esse abloqui non verentur, ut NVLLA, NVLLA, NVLLA

*NVLLA craſiſmarum hæreſium ſufficienter ex ſola ſcriptura
vel unquam fit refutata. (collocutores Bavar. ſeff. 8. Ratiſbonæ.)*

XXXI.

*Cui blaſphemia ḥæreſieſt̄ addit Coſterus hunc in mo-
dum ſcribens: Opus fuit Christo certam conſtituere nor-
mam, & judicem veracem, qui & clarè ediceret omnibus
creden‐da & qui corrumpi, mutilari, detorquerive in alic-
enos præpoſterosq; ſenſus ab alijs non poſſet. Ipm ſcri-
pturam ſacram non eſſe hunc judicem, ex variis qui in ea
nituntur errorib⁹ cuivis maniſtum eſſe debet, quam si
ſolam nobis Christus judicem reliquifſet, hoc judice non
ſatis proviſum & conſultum fuifſet ecclſiæ &c. (de ſum-
mo pontifice fol. 135.)*

XXXII.

*Iudicem controverſiarum interim ſi queras, ſic eundem ſine
rubore nominant: Iudex Generalis, legitimus, ordinarius
omnium controverſiarum, quæcunq; poſſunt oriri in ne-
gotio religionis eſt PONTIFEX ROMANVS,
ſive ſolus definiat aliquid, ſive definiat cum concilio gene-
rali. (Bavarici Theologi Ratiſbonæ ſeff. 1. fol. 23.)*

XXXIII.

*Hanc judicandi facultatem ita eundem obtinere poſtmodum
dictitant, ut effutire haud dubitent, eum ſemper eſſe infallibilem,
quippe qui Bellarmino teſte, non ut reliqui paſtores & mi-
niſtri ecclſiæ decernendi poteſtatem & gratiam; ſed &
ſcientiæ certitudinem acceperit. (lib. 4. de Rom. Pont.
cap. 2.)*

XXXIV.

*Atq; hinc eſt quod in omnibus congreſſibus & concilijs fidei
religionisq; cauſa coactis plenitudinem decidendi, & quid in am-
biguis tenendū ſtuendi, ſibi ſoli pontifex per adulatores ſuos at-
tribui patiatur. Quod ſi n. totus mundus ſentiret contra Pa-
pā inquit, Iohannes de turre cremata, tamen ſententiæ Papæ*

ftandum est &c. (in summa de Ecclesia lib. 3. cap. 94. in initio.)

XXXV.

Pontificis, ait Robertus Bellarminus, non imperatoris est, congregare synodos generales, & alibi: Catholici omnes munus praesidendi conciliis proprium esse docent summi Pontificis, ita ut vel per se, vel per legatos omnia moderetur; quorum, ut idem loquitur, conciliorum tanta est auctoritas, ut fide catholica tenendum sit, eadem errare non posse nec in fide, nec in moribus. (lib. 1. de conciliis cap. 12. & 19. item lib. 2. cap. 2.)

XXXVI.

Quod sane summum in controversijs judicium jam olim ante milles & plures annos astu scelerato, & quidem per crimen falsi Zozymus Episcopus Romanus sibi arrogavit, eo quod in Concilio Carthaginensi sexto à ducentis & septendecim Episcopis per legatos & literas petiit, ut sacerdotibus illinc ad se appellare liceret; itemq; ut ipse posset presbyterum à latere eò mittere, qui pro authoritate, de controversijs cognoscat, sibi q; referat. (Tom. 1. Concil. pag. 564.)

XXXVII.

Ceterum hoc ipsius adrogatus, falso canone Niceno palliatum graviter à predictis Episcopis refutatum, adeoq; Zozymi nequitia detecta, nulli unquam ecclesiae summam hanc supra alias potestatem & universalem jurisdictionem competere, communistratum fuit.

XXXVIII.

Ex hisce omnibus, quæ tamen, ni brevitati studeremus latius proponi possent, vel illud maximè appareat, q; quotiescumq; de Papa & primatu nobis quæstio est, non id disceptari; sit ne ordo in ministerio Ecclesiæ etiam Romanae utilis & approbandus, hoc sequidem nos facile largiri ex superioribus patere potest.

Qui-

XXXIX.

Quin immo nec hoc quoq; imus inficias, posse, & si de jure sit sermo, debere etiam in Romana ecclesia aliquem esse superiorem Episcopum aut presbyterum, qui verbum Dei sincere doceat, Sacra menta legitimè dispenset, adeoq; in ea uλη̄ς à 2186 n̄ḡ à 20m̄l̄s Jēz̄, quales Apostoli Pauli tempore habuit, ad veritatem erudiat. Rom. i. v. 7.)

XL.

Quis namq; hæc Romanæ ecclesiæ deneget, cum secundum Hieronymum, nequaquam altera Romanæ urbis ecclesia isto tempore altera totius orbis existimanda sit. Nam ut idem inquit: Et Gallia & Britannia, & Africa & Persis, Oriens & India & omnes barbaræ nationes unum Christo tempore unam observant regulam veritatis. (ad Evanandrum presbyterum.)

XL I.

Sed longè majus quid est, quod orthodoxorum aures ubi de Papa primatu agitur, tantopere offendit, & ad cuius vocem toti cohorrescunt, idq; ne lectorem, qui ex præcedentibus aliquem ejus gustum percepit, diutius detineamus, hoc potissimum: Sitne talis quædam universalitas, primatus ac præeminencia præ omnibus alijs concessa Ecclesiæ Romanæ, ut in ea certâ serie sibi succedentes pontifices, & qui hodie sedet PAVLVS QVINTVS sit Christi in his terris delegatus vicarius, visibile caput & sponsus ecclesiæ tanta autoritate prædictus, ut apud ipsum sit plenum de omnibus negotijs & controversijs fidei & cultus judicium, quo præcise standum, & à quo in Ecclesia militante ad neminem superiorem provocandum.

XL II.

Vbi tamen notandum non de facto, quid quovis modo & prætextus fiat: Sed de jure, anne Dei verbo consentienter fiat, unicè quari: Neq; enim de jure Diabolus talis est, hoc est pater mendacij

B 3

mendacij

mendacij; sed quia in veritate ab initio non fletit, & à statu su-
malitiosâ factione defecit. (Iohan. 8. v. 44.)

XL III.

Primum itaq; intrepidè afferimus primatum hunc non esse
à Deo; sed tantum ab hominibus inventum, id quod probatul lon-
gè est facillimum.

XL IV.

Cum enim de pontifice non V. Testamenti: (à quorum
tamen institutione pontificatum Romanum exordium sumpsiſſe
Durantius autumat) (rational. divin. lib. 2 fol. 24.) Sed
Novi Testamenti sermo sit ejus institutio aut Christi erit aut
Apostolorum, quod se neutrius, uti hactenus quidem pontificij
fidem nobis facere nequiverunt, neq; Dei etiam esse erit certissi-
mum.

XL V.

Oggiannunt hic plenis buccis τολυθρόνη illud, Tu es Pe-
trus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, & portæ
inferorum non prævalebunt adversus eam &c. (Matt. 16. v. 18.
Bellarmine lib. 1. de Pont. Romano cap. 10. 11. 12. &c.) quo se
hac potissimum tanquam ἀναπόντε obtinere posse maximope-
re existimant. 1. quidem Petro universalem quandam in reli-
quos Apostolos, & omnes totius orbis ecclesiás inspectionem ac
primatum concessum esse. 2. Hanc ipsam nemini alias quam
Episcopo Romano competere, ipsumq; omnem præminentiam,
omnesq; præceteris Apostolis prærogativas, quas longo catalogo
enumerant, jure quasi hæreditario possidere. (Bellarmine lib. 2.
de Pont. Romano cap. 12. item lib. 1. de pont. cap. 17. 18. &c.)

XL VI.

At verò inscīte & imperitè omnia. Primo namq; magnifi-
cum hoc Christi elogium non personæ sed confessioni Petri vel
maximè aptari, omnes ejus loci circumstantia & nativa phrasis
lūculenter evincunt, neq; etiam se super Petri personam
(fundamentum profecto nimis arenosum) sed super præclaram
ejus doctrinam & Confessionem, quam petra aſimulat, ecclesiam
edificaturum salvator pronuntiat.

Hinc

XLVII.

Hinc εξηνότ ipse etiam Augustinus subscribit, hunc in modum differens: Ideo ait Dominus super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, quia dixerat, tu es Christus filius Dei vivi: super hanc ergo, *inquit*, petram quam confessus es ædificabo ecclesiam meam; petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus &c. (*tractat. in Iohann. 124. vide lib. 1. retractat. atq. 21. de agone cap. 30. &c.*)

XLIX.

Deinde quoq; constat eandem potestatem quam Dominus in retinendis & remittendis peccatis aliisq; rebus ad ministrum ecclesiæ spectantibus Petro elargitus fuit, reliquis Apostolis alibi identidem attribui (*Matt. 18. v. 18. Job. 20. v. 23.*) ut ita nihil prærogativa Petro hinc maneat reliquum.

XLI.

Hoc utiq; erant & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, *inquit* Cyprianus, pari consortio prædicti & honoris & potestatis: sed exordium (*scilicet in compellatione Christi*) ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstraretur. (*tractatu 3. de simplicitate prælatorum.*)

L.

Deniq; ut vel maximè de Petro hic magna proloquatur Dominus, quid hoc ad monstrum illud Romanum, quod in tantum quidem à Petro quoad doctrinam distat, quantum bonum à malo, lux à tenebris, Deus à Diabolo.

L I.

Et quis hominum, cui misericordia fidei & pietatis reliqua est, sibi persuaderi patietur, Anastasio Nestorianis faventi, Libero Arianorum deliriis subscribenti, Johanni decimo cum scorno Theodora rem habenti, Alexandro sexto filiam naturalem stupranti (*dist. 19. cap. Anastasius. Platina in vita Anastasi. Lutprand. lib. 2. cap. 13.*) & reliquis quibusdam pontificibus

bus, quos rectius demones quam homines appellaveris, Christum hoc dicere: Vos estis Petra super quas edifico ecclesiam meam &c. ? is scil. qui ecclesiam Christo cura non esse, & Nestorianos ac Arianos eundem diligere impiè nimis & contra communem omnium Christianorum sensum credat ac statuat.

LII.

Sed nec Christum eo loco de quo nunc agimus perniciosissimum Papa primatum stabilire voluisse, adeoq; dictum illud Matthæi contra propria conscientia testimoniū à Jesuitastris ad fulcimen Papalis tyrannidis afferri, vel inde constat, quod ipsi pontificij aperte fatentur, Phoca imperatoris tempore demum obedientiam illam omnium ecclesiarum Romana cathedralē promissam & stabilitam.

LIII.

Sic enim Platina: Bonifacius tertius patria Romanus à Phoca imperatore obtinuit, MAGNA Tamen CONTENTIONE, ut sedes Petri Apostoli, quæ caput est omnium ecclesiarum ita & diceretur & habereatur. (*in vita Bonifacij.*)

LIV.

Quinet alius quidam historicus Flavius Blondus: Phocas, inquit, ipsius PONTIFICIS SVASIONE publica & ad universum orbem demissa sanctione constituit, ut Romane ecclesiæ Romanoq; Pontifici omnes orbis ecclesiæ obædirent. (*dec. i. lib. 9.*)

LV.

Videt hinc opinor, qui talpa cæcior non est quilibet, quam abs uno sono & sensu Christi illud præclarum de Confessione Petri elogium ciburgarumq; Romanenses ad Confortandam sui I-doli tyrannidem, quæ aliquot demum seculis post Petri mortem inventa fuit, adhibeant atq; accommodent.

LVI.

Sed & dictus primatus ac potestas Romani pontificis est contra

tra Deum; pateret id quidem exinde, quod jam ostensum fuit eum
non esse à Deo, siquidem qui non est mecum, inquit salvator, con-
tra me est, & qui non colligit mecum, dispergit (Lucæ II. v. 21.)
At v. quia in eo ex scriptura palliando tam sunt laboriosè pariter
& glorijs Iésuita moderni, & inter hos præcipue Bellarminus,
quomodo sit contra Deum eiusq; verbum ulterius considerare non
pigebit. (vide Bellarmini sesquipedalia in præfatione lib. I. de
summo Pontifice.)

L VII.

Primò quidem, quod Pontifex salutatur caput omnium ecclæ-
siarum, derogat id vero & unico capiti Christo suum pariter &
nomen & officium nimis ignominiosè. Hunc namq; scriptura præ-
dicat quod sit constitutus caput supra omnia ipsi ecclesia, corpus
& complementum eius, qui omnia in omnibus adimpleat; quod
quemadmodum vir est caput uxoris, sic & Christus sit caput
ecclesia, & is qui salutem det corpori, quod sit ante omnia, &
omnia per eum consistant, sitq; caput corporis i. e. ecclesia &c.
(Ephes. I. v. 22. & 23. Ephes. V. v. 23. Colos. I. v. 18.)

L VIII.

Ex quibus locis hoc modo inferimus: Si Christus caput est
ecclesia, caput corporis sui, non erit eo loco habendus Papa Roma-
nus i. Consequentia ratio ex eo pullulat, quod hoc negando, dile-
ctam Christi sponsam ecclesiam in biceps monstrum propudiose
nimis simus transformaturi.

L IX.

Rimam elabendi hic querunt fraterculi Esavite, ideoq;
allegatis locis hanc limam adhibent, dicentes Christum quidem
caput esse & manere ecclesia, quanquam invisible, Pontificem
verò Romanum eiusdem esse caput visibile; ita enim Robertus:
Quanquam caput totius ecclesia est Christus, tamen quia
ipse à militante ecclesia abest secundum visibilem præsen-
tiā, exigitur N E C E S S A R I O unus aliquis Christi
loco, qui visibilem hanc ecclesiam in unitate contineat.
(lib. I. de Rom. Pontifice cap. 9. & lib. 2. cap. 31.)

C

Hinc

L X.

Hinc illa similitudo regis & proregis, qua fatus, Christo ex eo quod Papa sit caput ecclesie, nullam fieri injuriam, immo potius gloriam ejus angeri afferit, siquidem omnes qui audiunt proregem esse caput sub rege, mox cogitent regem esse caput nobiliore loco. (loco & cap. superiori.)

L XI.

Belle hac quidem omnia, sed primo ἔπειρος φησι, quo fit ut apud eos, qui quicquid est de fide catholica (quale hoc etiam esse Cardinalis Bellarminus afferere non dubitat (lib. 2. de Rom. pont. cap. 12.) ex scripturis probari cupiunt, parum aut nihil momenti obtineat. Nos enim cum Damasceno πάντα τὰ παραδοθῆναι οὐκὶ πότερον, οὐδὲ φημεν, Εἰ Απόστολον, οὐδὲ Δαυΐδελετὸν δεχόμεθε, οὐ γινώσκομεν, οὐ σέβομεν. Σδὲ περί τοτε θιλγόντων. (lib. 1. orthodoxæ fid. cap. 1.)

L XII.

Deinde etiam data distinctio Christi gloriam minuit, eis suum quod etiamnum in Ecclesia fidelissime sustinet adimit officium. Cum enim idem licet invisibiliter, verè tamen, nobiscum sit usq; ad consummationem seculi; in medio duorum aut trium in nomine ipsius congregatorum, ambulet in medio candelabrum. (Matt. 18. Matt. 28. Apocal. 1.) continuo hinc sequitur, alterius capitis, inspectoris, legati aut vicarij haudquaquam ecclesiæ opus esse.

L XIII.

Si namq; Christus adest ecclesia (verè autem adest) eam in unitate fidei (ut loquitur Bellarminus) tanquam caput invisibile continet, aut non continet. Si illud, quorum attinet constituere caput visible: Sin hoc, tum aut non potest, aut non vult; quorum posterius contrariatur omnibus dulcissimis consolationibus, quibus paupērē in sacris literis ecclesiam suam consolatur; prius tamdiu falsum, quandiu ad dextram Dei patris omnipotentis sedebit, & etiam in medio inimicorum suorum ledit tribu Iuda potenter dominabitur. (Psalm. 110. Apoc. 5.)

Nec

L X I V .

Nec vel tanillum proficit cohors Jesuitarum objectando nobis, fore ut sublata hac distinctione, omne ministerium, per quod Christus in militanti Ecclesia, tanquam salutare $\ddot{\chi}nus$ suam nobis gratiam offert, penitus tollatur, id quod metuit Robertus Bellarminus, qui denegando militanti ecclesiae caput visibile non solum summum pontificem: Sed etiam Episcopos, Pastores & ministros omnes supervacaneos esse dicendos autumat. (lib. 1. de Pont. Romano cap 9.)

L X V .

At verò crassissimè ut & maximè sophistice cum contrubibus suis ludit $\ddot{\chi}nus$ parium, quotiescumq; cum ordinario & legitimo ministerio, quod nullam papalem sibi arrogat potestatem Antichristi dominatum omni modo intolerabilem Jesuita confert; cui quidem $\ddot{\chi}nus$ tum demum aliquod robur inerit, cum Papicolæ probatum dederint; nos itidem ministerium eousq; nominibus eveheres quoniam Romanum illud monstrum Cardinalis Bellarminus, (lib. 2. de Rom. Pont. cap. 31.) eiq; decisivam & talem, qualem ille pontifici, auctoritatem deferre; quod facient ad calendas grácas.

L X VI .

Sed & ea ratione dominatus Pontificis Deo contrariatur, quod, uti superius dictum, eundem cum plenitudine & infallibilitate judicij de dogmatibus fidei ac religionis perperam conjungunt.

L X VII .

Quod sane si ad pontificum V. Testamenti exempla accommodetur (ex cuius officio suum moderni pontifices inscitè plerumq; metiuntur imperium) continuò cuivis apparebit, quam sit à veritate facti alienum: cum constet Aarone, Vriam, ut reliquos præterea in cultu divino periculosisimè lapsos fuisse, & contra Dei voluntatem populi instinctu idolatriæ fuisse.

C 2

Et quid

L XVIII.

Et quid quæso hoc esset aliud, asservare Pontificem Romanum: in judicij de sacris rebus latione esse avut & Iuvor, quam dicere: eò quod pontificatum assumit, eundem hominum mortalium naturam & conditionem exuere, quos scriptura non semel attestante, omnes mendaces & fallaces esse liquido novimus. (Psal. 116. Rom. 3.)

L XIX.

Addo quod hoc ipsum etiam vim infert spiritui sancto in & per scripturas mundum & cuiuscunq; hominis in hoc mundo conscientiam judicantis. (Iohann. 6. v. 8.) quo fit, ut hæc ipsa quovis gladio anticipi penetrabilior, pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis ab eodem summo judice spiritu sancto proclametur, (Hebreorum 4. v. 12.)

L XX.

Deniq; maculam factio suo, & in Deum ac scripturam blasphemico titulo, cum sponsus ecclesiæ salutatur, ipsi Ecclesiæ Papa aspergit intolerabilem.

L XXI.

Qui namq; cum Christus sit vir ille VNVS cui virgo casta ecclesia exhibenda est. (2. Cor. 11.) cuius item soror, amica, & columba eadem nominatur, (cant. 5.) citra insignem impietatem vel aliquo saltu prætextu, idem nomen Antichristo Romano accommodari potest, nisi forte ex casta violatam, ex legitimâ spuriâ, ex fideli temerariam quis facere spurcissimus præsumat.

L XXII.

Nec vero ille inter omnes natos mulierum maximus (Luca 1. v. 20.) adeoq; Episcopo Romano multis parasangis præferendus Iohannes Baptista gloriam hanc sibi arrogare ausus fuit, ut se sponsum ecclesiæ profiteretur: Sed inter amicos sponsi numerari sponorâ confessione exceptavit. (Iohann. 3.)

Simili-

L XXIII.

Similiter sapè dicta potestas vel potius tyrannis Papalis antiquos ecclesias Doctores, ut & concilia nonnulla sibi habet adversantias quæ quidem cum hujus rei gratia omnia excutere atq; hic allegare nimis longum foret, unicum atq; alterum hujus generis hoc loco sufficiat testimonium.

L XXIV.

Atq; inter omnia quidem ejus generis non postremo loco habendum est, Concilij Carthaginensis Sexti, cui etiam Augustinus interfuit ad Zozymum Papam hac de re responsum, quo masculine ostendunt & exhortantur: non concedendum, ut EVMOSVS TTPVS SECVL^I (sunt verba concilij) in ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, inducatur.

L XXV.

Similiter de hac Papæ monarchia concilium Africanum: (dist. 99.) Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, vel aliquid huiusmodi; Sed tantum primæ sedis Episcopus. *Paulo post: V N I V E R S A L I S* autem nec etiam Romanus appelletur. (cap. 3.)

L XXVI.

Pari modo S. Cyprianus Cornelium Lucium & Stephanum Episcopos Romanos non universæ ecclesiæ capita, Sed suos coepiscopos & plerumq; fratres aperte nominat. (Tom. 1. Epist.) & alibi, Nemini; præterquam paucis desperatis & perditis minorem videri authoritatem Episcoporum in Africa constitutorum, quam Romanorum, afferit.

L XXVII.

Gregorius magnus licet ipse aliquandiu Episcopi Romani officio functus fuerit, scribere tamen non veretur: in ISTO SCELESTO VOCABULO (universalis Episco-

C 3, pus, tanta;

pus tanta scil : de qua dictum est potestate præditus consentire,
nihil aliud esse, quam FIDEM PER DERE (lib.4.
Epistola 83.

L XXVIII.

Idem alibi, ut ab omni dominatu se præbeat alienum :
IVSSIONIS verbum quæso à meo auditu remove-
te; scio qui sim, & qui sitis, loco mihi FRATRES estis,
moribus Patres, non ergo IVSSI : sed quæ utilia sunt
indicari curavi. (lib.7. Epist.39.)

L XXIX.

Bernhardus hunc in modum ad Papam Eugenium :
Planum est, Apostolis interdicitur dominatus, I ergo tu &
tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apo-
stolicus dominatum. Plane, ab alterutro prohiberis; Si u-
trumq; similiter habere voles, perdes utrumq;; alioquin
non te exceptum illorum numero putas, de quibus con-
queritur Deus (Osea 8. v. 4) ipsi regnaverunt, sed non ex
me, principes extiterunt: Sed non cognovi eos.

L XXX.

*Et notum est quid responsi pontifex Iohannes vigesimus
tertius à Græca ecclesia tulerit, cum sub eo prætextu, quod uni-
versalis ecclesia caput esset, ab illa obedientiam petijisset; hoc scili-
cet : Potentiam tuam summam erga subditos tuos firmiter
credimus; superbiam tuam summā tolerare non possumus;
avaritiam tuam satiare non valemus : Diabolus tecum, quia
Dominus nobiscum. (Iohannes Madouilla lib.1. cap. 17.)*

L XXXI.

*Inferunt præmissa omnia infallibilem & irrefragabiler
veram conclusionem ex talibus præmissis hujusmodi : Quod 1.
non est à Deo. 2. est contra Deum, 3. contra antiquorum docto-
rum placita, hoc ipsum est à Diabolo. Primatus Romani Pon-
tificis est talis. Ergo.*

Maiorem

LXXXII.

*Maiorem qui negat Christianus non est: Minoris qui sub-
scribere repugnat, is in publico disputationis actu non propriæ glo-
riæ acquirendæ causa, sed ἀληθείας ἐναγομένus nobiscum
congregatur, ut ita tandem, quid de conclusionis ve-
ritate sit statuendum, toti auditorio ma-
nifestum evadat.*



*Pater sanctifica nos in veritate, quia ser-
mo tuus est veritas, Iohannes 17.*



17





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756516463/phys_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463/phys_0029)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756516463/phys_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463/phys_0030)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756516463/phys_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756516463/phys_0031)

DFG

LXXXII.

Maiorem qui negat Christianus non est: Minor scribere repugnat, is in publico disputationis actu non viola acquirendā causa, sed ἀληθίας ἐνέργεια cominus congregiatur, ut ita tandem, quid de conclusioritate sit statuendum, toti auditorio manifestum evadat.



Pater sanctifica nos in veritate, et
motuus est veritas, Iohannes 17.

